
TENTAMEN THEORETICO-PRACTICUM

INAUGURALE,

DE

HÆMORRHAGIIS.

2

TENTAMEN THEORETICO-PRACTICUM
INAUGURALE,
DE
HÆMORRHAGIIS.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

JOANNES LANGFORD,
HIBERNUS,
Soc. Reg. Med. Edin.
Necnon
Soc. Nat. Edin. Soc. Hon.

Minus valent praecepta quam experimenta.—QUINT.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

Viro Praehonorabili Nobilissimoque

JOANNI CROSBIE,

COMITI DE GLANDORE,

Necnon

CUSTODI

ROTULORUM TOTIUS HIBERNIÆ PRIMARIO,

&c. &c. &c.

Qui,

Propter amorem scientiae insignem,

In literis humanioribus

Artibusque ingenuis peritiam,

Virtutem omnigenam,

Miramque morum suavitatem,

Optimo jure cohonestatus est ;

Hancce dissertationem inauguralem

Cum summâ observantiâ

D. D. D. CQUE

AUCTOR.

TENTAMEN THEORETICO-PRACTICUM

INAUGURALE,

DE

HÆMORRHAGIIS.

IN corpore humano, cujus fabrica in primis mirabilis sapientiam Numinis supremi et potentiam clare evidenterque demonstrat, multa phaenomena oriuntur, quae attentionem philosophi et medici in sese non convertere non possunt. In his autem *Haemorrhagiae* eminent. Sub nomine *haemorrhagiae* epistaxin solam, eumve sanguinis fluxum, qui a vasis, quibus membrana Schneideriana instructa est, proficiscitur, celebri Sauvagesio comprehendere placuit. Alii

vero nosologi, non minoris famae et existimationis, sub eadem omnia sanguinis e qualibet corporis humani parte profusi, exempla complexi sunt. Haec insuper in *haemorrhagias activas* et *passivas* dividenda curarunt. Per illas eas, quae actione systematis sanguiferi adaucta, vel pyrexia majore vel minore, nunquam non stipantur, et vere morbi febriles appellari possunt, voluerunt. Has iis sanguinis profusionibus, quae ab injuriis externis, ut vulneribus corpori inflictis, humorum in scorbuto, cancro, similibusque morbis, ad putredinem proclivitate, vasa eos continentia erodente, tunicis vasorum sanguiferorum ipsorum aliqua de causa nimis attenuatis, et aneurysmate tandem solutis, &c. proficiscuntur, circumscripserunt. In quibus omnibus casibus, nihil pyrexiae actionisve vasorum sanguinem vehementium, adauctae sese ostendit. Nos vero, vestigiis Cullenianis insistentes, quo ducem certiore aut meliorem sequi non possumus, *haemorrhagias*, quas exequimur, &c.

pistaxi, hæmoptysi, hæmorrhoidæ, et menorrhagia,
 continemus; in morem magistri excellentissimi,
 omnes reliquos sanguinis fluxus, qui signis febrilibus prius destituti sunt quam semet ostendunt,
 ad *profusiones*, ut eos appellat, relegantes.

Auctor celeberrimus, modo positus, hæmorrhagiam activam hac ratione definivit.

“ Pyrexia cum profusione sanguinis absque vi externa; sanguis missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens*.”

C A P U T I.

S E C T I O I.

HISTORIA HÆMORRHAGIARUM.

Hæc autem potissimum in hominibus plenioribus, temperamentoque sanguineo præditis, incidere

* Vide Culleni Synop.

cidere solent. Hoc autem subesse testantur sequentia, cutis laevis, tenuior, et albida; vasa sanguifera subcutanea colorem rubro-caeruleum ostendentia; color faciei ruber et floridus; canthi oculorum et labia rubedine splendente ornata; corpus universum textura molle, laxum, sed plenum tamen et turgidum; capilli albidum rubri vel subflavi, molles, et lanuginosi.

Vere plerumque, vel aestate ineunte, prorumpunt.

In aliquantum temporis, quod aliis in exemplis aliud est, modo longius, modo brevius, antequam sanguis affluere incipit, nonnullae plenitudinis et tensionis notae circa partes, unde sanguis semet profusus est, evidenter apparent. In iis partibus, quae semet in conspectum dant, aliquid ruboris et tumoris, et sensus caloris vel pruritus, oriuntur; et in partibus internis, e quibus sanguis est erupturus, sensus caloris ponderisque sentitur; et, si eas inspicere posses, eadem congestionis sanguineae signa

haud

haud dubie viderentur. In utroque exemplo, varii partium vicinarum dolores frequenter invadunt, semper obtusi. Cum haec signa aliquamdiu subsuerunt, nonnihil stadii pyrexiae frigidi accedit, quod signis sequentibus, lassitudine vel debilitate, modica vero, praecedente; horrore et vigore majoribus vel minoribus, proclivitate nonnunquam ad evomendum et vera vomitione, ictibus arteriarum celeribus, respiratione frequente et gravi, siti plerumque intensa, cutis ariditate, faciei pallore, urina limpida; excretis solitis et profusis ex ulceribus magnopere diminutis, comitantibus, designatur. Hoc stadium frigidum brevi excipit calidum, et signa huic propria oriuntur. Ictus arteriarum pleni, validi, durique evadunt; calor, naturalem gradu excedens, semet in corpus universum diffundit; sitis intenditur; facies rursus rubescit, et nonnihil tumescit; urina coloratior evadit, nihil vero sedimenti deponit; excreta adhuc supprimuntur, et exigua quantitas, si ulla, puris ex ulceribus,

ulceribus, quorum inflammatio plurimum intendi consuevit, effertur. Rebus ita se habentibus, sanguis tandem prorumpit, colore floridus, quantitate major vel minor, et, in spatium temporis longius breviusve, effluere pergat. Plerumque, aliquanto temporis elapso, profundi sponte cessat, et simul omnia pyrexiae signa decedunt. Qui pulsus arteriarum modo frequentes, celeres, pleni, et saepe duri fuerunt, in nunc, sanguine profluente, molliores minusque frequentes evadunt. Si sanguinem, circa hoc tempus, e vena emittas, concretus plus minusve glutinis a reliquis partibus disjuncti, vel crustae coriaceae, tenaces, crassae iis innatantis, qualis in exemplis phlegmasiarum reperiri solet, ostendet.

Quae sanguinis quantitas profunditur, ea, aliis in exemplis, longe alia est. In iisdem hominibus, diversis temporibus, magnopere differt. Quinetiam modus, quo sanguis effertur, non parum variare consuevit. Modo guttatim

tantum

tantum elabatur, modo praeceps, instar fluminis pleni et spumosi, prorumpit.

Si quantitas sanguinis modica tantum, et non violenter et rapide effundatur, haemorrhagia plerumque sponte sua, et brevi, decedit, nullis omnino signis, unde aliquid timendum, eam subsequens. Post aliquantum vero temporis elapsum, plerumque revertitur, pluribus aut paucioribus signorum, quae supra retulerimus, praecedentibus. Ita reditui ejus, ex intervallis, quae, uti ex historia medicinae discere licet, modo admodum brevia sunt, ne spatium quidem unius diei excedentia, modo aliquanto longiora, modo menstrua, modo semestria, modo annua, systema corporeum, non sine detrimento suo periculoque, opportunum evadit.

Eam vero excipiunt, si magna sanguinis quantitas raptim profundatur, etiamnum pejora, pulsus nempe arteriarum debiles, frequentes, tremuli, abnormes; vertigo, animi deliquium, sudores frigidi, convulsiones, et, nonnullis in exemplis,

emplis, quae memoriae fuerunt tradita, mors ipsa, humanarum ultima linea rerum. Si haec non protinus subsequuntur, quae debilitas haemorrhagiae graviori saepe superest, ea tanta est, quanta multos morbos funestos, quales sunt cachexia, hydrops, atrophia, &c. secum adducit, qui vitam miserandi aegroti, in futurum, angoribus mortis ipsius fugacibus magis metuendam magisque formidolosam efficiunt.

Hujuscemodi plerumque sunt signa, quae haemorrhagiam comitantur. Si exempla semet ostendunt, ubi omnia non clare manifesteque, veluti paucula forsitan nunquam, semet ostendunt; hoc tantum significat, ut Cullenus illustrissimus, in *Primis suis Lineis*, ait, plus minusque systematis, casibus in diversis, affici solere; et haemorrhagias loco ex toto proprias eodem modo, quo inflammationes loco ex toto propriae, aliquando oriri.

Unum tantum huic haemorrhagiarum historiae, quam supra tradiderimus, adjiciendum pu-

tamus, discrimen nempe, quod haemorrhagias inter et inflammationes intercedit. Quantum illas spectat, membranas laxas et molles, prope superficiem externam vel internam sitas, tenent, quarum arteriae leviter obteguntur, nullis musculis sibi superimpositis firmantur, suffulciuntur, comprimuntur; et igitur potestati sanguinis fortiter propulsi, ut ante haemorrhagiam incidere solet distendenti, facile cedunt, et eo usque ante, ut rumpantur et sanguinem fundant, dilatantur, quam processus formationi puris vel suppurationi necessarius, qualiscunque sit ejus natura, potest percurri. Hae vero, contra, membranas firmas et densas occupant, quarum arteriae firmitate membranarum ipsarum musculisque sibi superincumbentibus magnopere sustentantur et corroborantur; quaeque igitur potestati sanguinis in se valide rapideque irruentis multo difficilius cedunt, non tam cito dilatantur, et non prius, quam id temporis spatium, quod natura requirit, formationi puris et

suppurationi fuerit concessum, possunt disrumpi. Haemorrhagiae igitur et inflammationes potissimum sede sua et exitu differre videntur, plerisque in aliis rebus sibi invicem simillimae.

S E C T I O II.

S E M I N I A.

Horum autem praecipua tria sequentia esse videntur; plenitudo universa; libramen circuitus sanguinei mutatum; prava partium conformatio, congenita vel acquisita.

1. *Plenitudo Universa.* Quaecunque ad hanc prognerandam conferunt, ea haemorrhagiae futurae fundamenta jacere periclitantur. Plenitudinem vero totius corporis plane evidenterque faciunt sequentia.

a. *Vita desidiosa et iners.* Quae humorum quantitas justa est, et saluti corporis absolutae et exquisitae

exquisitæ ex toto necessaria, ea, quanquam systema humanum nullis omnino regulis certis circumscribitur, et varios excessus, sine incommodo, saepe tolerare potest, ab aequilibrio ingesta inter et excreta rite conservato magnopere pendet. Namque, si illa haec excedant, etiam leviori gradu, nedum longe exsuperent, accumulatio humorum nimia et morbida citius seriusve, pro ratione discriminis, oriatur oportet. Si, contra, haec illis copiosiora sint, qualis eventus est sperandus? Exinanitio corporis, praeter consuetudinem, haud dubie brevi accedet, non pauciorum morborum, quam qui ab humoribus nimia quantitate accumulatis proficiscuntur, quique praeter justum depleto non minus periculi intentant, genetrix formidolosa. Nihil vero nobis, in praesentia, est cum excretis, praeter naturam adauctis, sed diminutis. . Judicio autem medicorum, omniumque etiam sapientium, qui summam suae valetudinis commodae fiduciam in exercitatione rite constanterque adhibi-

ta collocant, nihil in tota rerum natura, ad haec imminuenda vita desidiosa et inerte accommodatius est. Cum vero contraria contrariis luminis plurimum saepe offundant, quidnam exercitatio desidiae, ex toto adversa, praestet, prius inquirere, quam effectus hujus depingimus, pretium esse ducimus. Illa autem actionem omnium muscutorum totius fere corporis excitat et promovet, quod, ut non tantum arteriae, quae per substantiam eorum transeunt, aut in eandem desinunt, sed vicinae etiam, rite compressae et suffultae, sanguinem, quem vehant, ad fines suos extremos usque iis, quibus par est, viribus propellant, et humores non amplius in corporis interioribus quasi languide stagnare patiantur, plane evidenterque facit. Hinc humor vasis cavorum corporis diversorum exhalantibus, vasis secernentibus, quibus glandulae numerosae sunt instructae, et igitur excernentibus, et denique vasis subcutaneis, quae in superficie corporea perspirationem sudorem-

que

que effundunt, debitus suppeditatur. Igitur omnes secretiones et excretiones, quasi pro norma, non pergere non possunt; et si quid unquam in ingestis peccatur, ei in excretis perpetuo constanterque rite peractis efficaciter occurritur. Hoc modo aequilibrium, quod omnium longe saluberrimum est, ingesta inter et excreta conservatur, et, ne ulla plenitudo universalis locove propria, sanitati inimica, oriatur, cavetur. Quinetiam exercitatio universo corpori robur intendit, sine quo munia sua diversa, uti debet, obire nequit, et valetudo prospera corruit. Sin vero, in locum exercitationis idoneae, vita desidiosa et iners substituatur, quae ex toto contraria praestat, quidnam subsequetur? Quo omnia quasi verbo comprehendamus, vires universo corpori, et systemati arterioso toti, potissimum convellentur, humores ad extrema corporis non amplius rite propellentur, vasa fecernentia et excernentia humoribus suis, vique a tergo spoliata, quasi collabentur et constringentur, et omnes

igitur

igitur secretiones et excretiones supprimentur, saltemve diminuentur. Igitur, si eadem alimentorum quantitas in ventriculum ingeri pergat, plenitudo universa, sanitati inimicissima, brevi non oriri non potest. Supra comprehensa, cur vitam desidiosam et inertem agentes ad haemorrhagias in primis proclives sint, clare manifesteque ostendunt. Sin vero vitae desidiosae, animi inertia languorque quoque adjiciantur, quae mala ab illa oritura esse portendimus, ea multo certiora fore praedicere audemus. Qui studiis difficilioribus dediti sunt, iis animus saepe exagitur, nonnunquam torquetur; quod structurae corporeae stimulo esse, et vicem exercitationis, aliqua ex parte, reddere videtur. Namque multi hujuscemodi mortales vitam provectiorem attigerunt, quod vix aliter potest exponi. Qui vero nec corpus, nec animum exercent, de sanitate eorum vitaeque protractiore conclamatum actumque esse videtur.

b. Cibus multum nutrimenti suppeditans. Qui cibus plurimum alimenti praebet, is est animalis, qui, ut inter omnes, qui materiam medicam executi sunt, ex toto convenit, multo minus perspirabilis est, quam is qui e vegetabilibus conflatur. Igitur in corpore diutius retinetur, ex eadem difficilius excernitur, et ad cruorem sanguinis globulosve rubros formandos et augendos magis confert, quam quodlibet aliud cibi genus. Quomodo igitur ad plenitudinem universam creandam conferat, e supra comprehensis adeo clare constat, ut plus temporis operaeque in hac re exponenda contere supervacaneum foret. Hoc tamen e memoria non excidere debet, alia cibi animalis genera aliis esse innocentiora. Pisces quadrupedibus vel avibus concoctu difficiliore sunt, minusque perspirabiles. Animalia juniora, quam aetate proveciora, viribus ventriculi concoctricibus minus facile parent. Igitur delectus cibi, etiam animalis, constanter ab omnibus, qui plenitudini morbidae

bidae occurrere volunt, habendus. Quicumque vero eam ex toto defugere volunt, ii vegetabilem, plenitudini multo minus amicum, in locum animalis sufficient.

c. Evacuationes solitae, five naturales, five arte motae, suppressae vel imminutae. Sub naturalibus apte comprehendi possunt perspiratio et menses. Quantum haec suppressa ad plenitudinem corporis universam movendam faciant, neminem, qui medicinam labris primoribus degustavit, fugere potest. Non citius supprimuntur, vel etiam imminuuntur, quam morbos gravissimos movent, vel saltem iis fundamenta nimis stabilia jaciunt. Non opus est, ut rationem, qua agant, exponamus, si ad supra tradita respiciatur. Quantum arte motas spectat, quales sunt fonticuli, setacea, epispastica, uti aiunt, perpetua reddita, eas suppressas plenitudinem corporis nimiam morbidamque facere, non est cur mireris; si, quantum per illas olim fuerit evacuatum, et quantum, illis suppressis, vel dimi-

nutis,

nutis, in corpore detineatur, memoria teneas. Namque quo plus humorum, qualescunque sint, supprimitur, quoque plus eorundem in corpore retinetur, eo plus plenitudinis universae morbidaeque in corpore oriatur necesse est.

d. Missiones sanguinis nimis frequenter reiterate.

Nullum physiologum potest latere, potestatem semet contrahendi, qua arteriae sunt praeditae, a viribus suis muscularibus, vel elatere ab his proficiscente, ex toto pendere, et contractiones, quas singulis momentis exercent, a mole sanguinis, quem vehunt, distendente et irritante, moveri. Quo fortius hac distenduntur, eo majorem resiliendi vim plerumque ostendunt; vel, quo pleniores sunt, eo validiores, et celeriores quoque interdum, earundem pulsus vel contractiones esse reperiuntur. Si actionem vero systematis arteriosi diminuere velis, tantum opus est, ut irritationem, unde pendeat, minorem efficias; quod molem sanguinis distenden-

tis imminuendo, vel hujusce detractioe efficacissime fieri potest. Namque, quo plus sanguinis emittitur, eo lenior, infirmior, magisque circumscripta evadit arteriosi systematis actio. Si detractioes hujuscemodi crebriores sint, vel in iis nimis diu perstetur, vires systemati sanguifero eo usque tandem, ut humores ad corporis extrema non amplius possint propelli, convellentur. Hinc vasa corporis excernentia diversa, ob defectum humorum, quibus olim distendi consuerunt, in modum adeo inusitatum, ut majore etiam sanguinis copia, quam ante detractioes inceptas, ad ea rursus recludenda opus sit, constringentur, et summa et morbida plenitudo, ob excretiones sublatas vel diminutas, in corpore citius seriusve orietur. Quantum detractioes sanguinis frequenter reiteratae ad plenitudinem creandam conferant, omnes, qui in brutis animantibus saginandis occupati sunt, optime norunt. Namque, quodocunque animalia, brevi vendenda aut mactanda, pinguiam reddere

reddere cupiunt, sanguinem illis frequenter detrudere moris est. Quantum pinguetudinis missiones sanguinis crebro repetitae possint afferre, documentum in primis insigne, intra biennium proxime elapsum, apud Nosocomium Regium Edinense, mihi videre contigit. Puella, cui nomen Christiana Graia fuit inditum, in cubicula clinica admissa est, et curae Doctoris Gregorii, usus Practici in Academia Edinensi Professoris, qui decus Familiae Doctissimae unde prognatus est, et tuetur et auget, demandata. In aliquot hebdomadas epistaxi laboraverat, et sanguis ei quinquies fuerat detractus. Post aliquantum temporis in variis medicamentis, quae morbo conveniebant, fumendis consumptum, vir clarissimus sanguinem ei rursus detrahendum putavit. Chirurgus vero, ne unam quidem venam subcutaneam, eo usque obesitatis, sanguine toties missio, processerat, potuit reperire; quamquam ante septem hebdomadas, aut circiter, sanguis

sanguis ei summa cum facilitate fuerat extractus.

2. *Libramen circuitus sanguinei mutatum.* Quae experimenta a viro ingenioso Cliftonio Wintringhamio, equite aurato, in arterias venasque non tantum hominum, sed etiam multorum aliorum animalium, quae genus humanum structura systematis sanguiferi magna ex parte referunt, instituta sunt, ea has illas densitate et viribus, sub initium vitae, et in longum etiam a partu temporis spatium, non parum excedere, aperte evidenterque demonstrant*. His suam proclivitas ad haemorrhagias doctrinam pulcherrimam ingenium Cullenianum inaedificavit†, qui omnia undique fauste feliciterque arripuit, quae medicinae lumen potuerunt offundere. Cum res
autem

* Vide Experimenta Wintringhamii.

† Exegit monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.

autem ita sese habeat, unum inde jure optimo potest concludi, venas, densitate et robore majores, sanguinem in arteriis esse accumulaturas, vel plenitudinem ibi, pro rata virium majorum ratione, creaturas. Si aliqua autem systematis corporei pars sit, quae, cum reliquis comparata, pro ratione major est, cuique vasa sanguifera ampliora, laxiora, distensuque faciliora sunt, plenitudo modo posita ibi potissimum sese ostendet. Caput autem omnis infantis, in lucem recens suscepti, uti omnes norunt, reliquis partibus, pro rata ratione, amplius est, et majoris sanguinis quantitatis capax, et arteriae ejus, ob mollietatem et partium, per quas transeunt, et cingentium, distensu facillimae. Igitur e structura venarum hacque capitis conditione abunde patet, quantitatem sanguinis, sub initium vitae, pro rata parte, majorem ad cerebrum, quam ad reliquas partes, missum iri. Consilium vero naturae rerum Creatricis sapientissimum hac in re clare ostenditur. Namque, cum cerebrum or-

ganum

ganum omnis sensus motusque primarium fit, et reliquae corporis partes ab eo ex toto fere pendeant, ut illud, ante has, explicetur, incrementumque suum ad finem perducatur, omnino opus est. Hoc vero fieri non posset, nisi arteriae non parum plenae distensaeque conservarentur, sine quo longiores reddi extendique nequirent. Hic autem sanguinis cursus caput versus fieri pergit, donec vasa ejus tantam firmitatem sibi adipiscuntur, quanta distensionem eorum ulteriori obsistit. Rebus ita se habentibus, plenitudo morbida oriri, sanguis e vasis membranae Schneiderianae laxius, quam reliqua capitis, propriusque superficiem fitis, et igitur distensu ruptuque facilioribus, profundi, et ita *epistaxis* creari potest. Hoc vero minime semper incidere consuevit, si rami aortae inferioris, quorsum impetus humorum hoc tempore, nempe circa stadium pubertatis, fieri incipit, ut effectus hujus, explicatio partium genitalium in utroque sexu, aperte demonstrat, potestati sanguinis

guinis distendenti facile cedunt. Incremento cerebri absoluto, quae partes corporis adhuc explicandae supersunt, eae hunc ad perfectionem, quam attingere possunt, summam perduntur. Partes genitales pueriles, olim exiguae, flaccidae, et irritatu difficiles, magnitudine subito augmentur, oestro venereo inflammatae tumescunt, et vires procreatrices sibi adipiscuntur. Virgineae non minus mutationes subeunt. Uterus magnitudine quoque augetur, sanguis ad arterias ejus extremas usque propellitur, et ostia iis tandem recluduntur, et *menstrua* proveniunt.

E pubertate, ad annum aetatis trigesimum sextum usque, vel ad vitae meridiem, uti appellatur, omnes partes et aortae superioris et inferioris eandem firmitatem et densitatem possidere videntur, et plenitudo aequalis in universis earundem ramis dominatur. Si haec vero, quibuslibet de causis, limites valetudinis commodae unquam excedere incipiat, affectus ejus

morbidi

morbidi in parte systematis arteriosi maxime infirma et debili, haud dubie primum sentientur. Namque arteriae valentiores meliusque sustentatae in infirmioribus, minusque futurae habentibus, plus justo sanguinis semper accumulabunt. Igitur noxae plenitudinis morbidae, si talis pubertatem inter meridiemque vitae oritur, semet in pulmonibus, quibus arteriae laxae fitae sunt, et, ob hanc causam, ruptu distensaque faciliores, potissimum ostendent; vel, ut alia verba adhibeamus, *haemoptysis* progenerabitur.

Quaquam venae hucusque arteriis valentiores fuerunt, res, circa mediam vitam, ex toto mutari incipiunt. Namque hae illis firmiores densioresque evadunt, et sanguinem in iis, in posterum, accumulunt, vel plenitudinem venosam progignunt, quae ad vitam extremam usque durat, et fontem uberrimum suppeditat, unde morbi profluunt, a plenitudine hujusmodi pendentes, quales sunt haemorrhoids, apoplexia

poplexia fanguinea, vel haemorrhagia cerebri Hoffmanniana, &c. Ad hosce duos morbos excitandos, haud dubie plurimum confert reditus sanguinis venosi in primis difficilis. Et enim venae, sanguinem a cerebro revehentes, compressione nullorum musculorum et actione adjuvantur; et canali alimentario propriae valvulis, quae columnam sanguinis adscendentis sustineant, ex toto destituuntur, quod, ut progressus sanguinis in iis admodum tardus difficilis fit, haud dubie facit.

Ita, in summa, libramen circuitus sanguinei, per decursum vitae toties mutatum, mortales ad *epistaxin*, sub pubertatem; hanc inter et annum aetatis trigefimum sextum, ad *haemoptysin*; et denique, vita proveciore, ad *morbos a plenitudine venosa pendentes*, proclives non efficere non potest.

3. *Prava partium conformatio, congenita vel acquisita.* Libramen circuitus sanguinei mutatum, ni modo positum, per se quidem homines

haemorrhagiis opportunos reddit ; sed hoc multo certius praestabit, si ei accesserit prava partium conformatio. Si thorax, exempli gratia, distortus nimisve angustus fit, circuitus in pulmonibus solito naturali et sano multo difficilior, et etiam rapidior fit necesse est. Namque, sanitate summa subsistente, eadem sanguinis quantitas per systema pulmoneum, et systema aortae, eodem temporis spatio, transmittitur. Cum autem illud hoc multo minus contractiusque fit, motus sanguinis illic, quam hic, constanter multo celerior fit oportet. Si vero thorax distortus, et, ut modo posuimus, praeter consuetudinem angustus fit, circuitus sanguinis in pulmonibus non tantum difficilior, sed etiam, ut aequilibrium circuitum minorem inter et majorem conservetur, necessario rapidior reddetur. Unde summum congestionis morbidae, et igitur haemoptyseos, periculum orietur.

Insuper, si quaelibet injuria conformationi partis cujusvis sanae casu inferetur, haec proclivitatem

clivitatem ad haemorrhagias facere periclitabitur. Si aliquid laxitatis vel debilitatis in ulla corporis parte progeneretur, ibi, in futurum, impetui sanguinis minus facile resistetur, et erit, ne congestiones morbidae, haemorrhagarum generatrices, oriantur, causa timendi. Hujusmodi, in monumentis medicinae, multa exempla reperiunda. Ita pulmones, tussi convulsiva aliisque morbis ante debilitatas, haemoptysis; recta intestina relaxata, haemorrhoids; uteros, quibus vires partibus difficilioribus, et protractioribus, abortu similibusve, fuerint convulsae, menorrhagia, invadere consuevit. Denique, consuetudo, quantum reditum haemorrhagarum spectat, multum potest. Namque congestio, quae haemorrhagiam fere omnem praecedit, vasa, ubi fit, tantopere relaxat et debilitat, ut impetui sanguinis, in futurum, non tam facile obistere possint, utque novae congestioni magis, quam antea, pateant, novam haemorrhagiam brevi daturae.

S E C T I O III.

P O T E S T A T E S N O C E N T E S.

I. Omnia quae progressui sanguinis arteriosi redituive venosi obsistunt.

Si unquam, quod saepe quidem incidere potest, quantitas sanguinis bene larga rite et facile in arteriis progredi non permittitur, vel reditui sanguinis venosi aliquod obstaculum objicitur, aliquae sequentibus eveniant oportet. Cursus sanguinis naturalis et sanus mutabitur, pars ejus e vasis exhalantibus arteriisve ipsis dilatatis vel ruptis, exprimetur, et haemorrhagiam subitaneam movebit; vel in parte systematis arteriosi maxime infirma, distensaque facillima, nimia quantitate congeretur, quamvis tarde et gradatim, profusionem sanguinis citius seriuse factura. Utrum sanguis in systemate arterioso vel venoso

venoso nimis copiose accumulatur, non multum referre videtur; idem fere effectus edi consuevit. Congestio morbida venosa, ut sanguis contra vim a tergo retropellatur, et ex ostiis exhalantium dilatatis, arteriisve ipsis laceratis et ruptis, effundatur, non difficulter facere valet. Namque hae venis minus dilatabiles sunt, et rupturae magis patent. Ejus, quod asseruimus, exemplum manifestum in varicibus habemus, ubi venae saepe in summam magnitudinem intumescunt, et tamen non disrumpuntur. Tunica vero arteriarum muscularis, ut in aneurismis videre est, vix unquam eo usque distenditur, quam rumpitur sanguinemque effundit. Igitur in primis probabile est, licet non ad alia, quae possint adhiberi, argumenta decurratur, sanguinem in haemorrhagiis ex arteriis potius, quam e venis, profundi.

Hinc autem doctrinae, quam supra tradiderimus, fidem evidentissime faciunt, obstructions hepatis et lienis, uterus gravidus, humor in cavo abdominis

abdominis ascite laborantium collectus, colonae spiritu, faecibus, &c. distentum, &c. quae haemorrhoidem saepe movere videntur. Hae autem aliter praestare non possunt, quam venas mesentericas superiores et inferiores comprimendo; et cursum sanguinis igitur rectum extremum versus faciendo. Auctor* quidem celeberrimus, cui summa fides in omnibus debet haberi, plenitudinem systematis venae portarum, etiam maximam, haemorrhoidem excitare non posse, contendit; quod rami arteriae mesentericae inferioris nullam cum vasis haemorrhoidalibus, quae aliunde proficiscuntur, anastomosis faciunt. Si vero rami arteriae mesentericae inferioris, praeter justum, sanguine distendantur, quid, quominus illi, propter viciniam proximam, ramos arteriae haemorrhoidalis nimia pressura afficiant, et idcirco ad congestionem in recto extremo faciendam magnopere conferant, obstare videtur?

* Vide Monroii Praelect. Manuscript.

videtur? Epistaxis, uti* Hoffmannus memoriae prodidit, hepar vel lienem scirrhum excepit; quod non aliunde quam a cursu sanguinis solito impedito, et majore ejus copia alio missa, potuit proficisci. Quae haemorrhagiae a frigore, et moerore animum degravante, oriuntur †, eae hinc tantum profluere possunt, quod illa, superficiem corpoream spasmodice constringendo, iter sanguinis solitum immutant, et impetum ejusdem partes interiores versus faciunt, unde congestio ibi fit, et vasa sanguifera rumpuntur.

2. Omnia, quae vim cordis et totius reliqui systematis sanguiferi adaugent, et igitur quantitatem sanguinis nimiam in iis partibus, quae, maxime relaxatae, congestioni facillime patent, accumulunt. His autem annumerari possunt, potiones cibique nimis stimulantia; exercitatio violenta et subita, vel nifus quilibet inusitati; remedia acria; vis caloris externi stimulans potius

* Tom. 2. p. 192.

† Hoffman. tom. 2. p. 219.

tius quam rarefaciens; affectus animi concitatiores, ut ira effraenata et immodica, gaudium intensum et subitaneum, &c.

3. Omnia, quae partem singularem, prae reliquis, stimulant et irritant. Stimulantia autem, partibus singularibus admota, brevi subsequuntur, actio vasorum eorundem adaucta, cursus sanguinis insolitus eas versus factus, et haemorrhagia igitur vel inflammatio, prout structuram laxiorem densioremve habent; si irritamentis, praesertim acerbis, obijciuntur, nares, pulmones, intestina, uterus, quibus vasa proxime superficiem sedent, laxa, distensu facilia, haemorrhagia parti irritatae propria accedere consuevit. Cathartica valentiora, emmenagoga, cantharides, &c. vel sterqus acre et induratum colore rectove detentum, haemorrhoidem vel menorrhagiam, multis in exemplis, excitaverunt; quod nihil his ad cursum sanguinis sedes horum morborum versus faciendum accommodatius est, ob irritationem, quam iis praebent, acerrimam.

cerrimam. Insuper, eodem modo agunt, clamor, cantus, tussis, &c. cum haemoptysin; stermutatio, cum epistaxin; venus immodica, cum menorrhagiam; quilibet nisus violentiores, cum haemorrhoidem movent. Quod quidem non raro faciunt. Ex hisce autem abunde constat, nihil ad haemorrhagias ciendas plus facere posse, quam stimulantia acria loco propria.

S E C T I O IV.

C A U S A P R O X I M A.

Haec autem haud dubie est congestio sanguinis in parte, unde haemorrhagia proficiscitur, nimia et morbida. Cur ita credamus, in causa sunt sequentia, loci, e quo sanguis prorupturus est, rubor, dolor, plenitudo, tensio. Nec, quin res ita sese habeat, ambigi potest, cum omnia feminia et potestates nocentes ad congestio-

nem hujuscemodi prognerandam plane accom-
 modentur. Haec igitur causa haemorrhagia-
 rum proxima, cum evidenter effectus, uti Gau-
 bius celeberrimus ait, seminiorum noxarumque
 conjunctus sit, vel progenies eorum mista et
 communis, vera et genuina est. Congestionis
 vero modo positae formationem constanter co-
 mitatur, brevive subsequitur pyrexia, signis sibi
 assidue propriis, ut sensu frigoris, ariditate cutis,
 secretionibus et excretionibus suppressis vel di-
 minutis, actione cordis arteriarumque adauctis,
 magna corporis irritabilitate, &c. aperte desig-
 nata. Qua ratione irritatio a congestione, loco
 propria oriunda, actionem systematis sanguiferi
 adauctam movere possit, non intellectu difficile
 esse videtur; quomodo vero omnia, quibus py-
 rexia iusta stipatur, signa progignat, nos ex toto
 ignorare plane confiteri melius esse iudicamus,
 quam, difficultatis tollendae causa, ad meras
 conjecturas, quae philosopho omnino indignae
 sunt, et tenebris, in quibus versamur, nihil lu-
 minis

minis offundunt, ut moris quorundam fuit, decurrere. Namque scientia vera auxiliis hujusmodi minime promovetur.

C A P U T II.

S E C T I O I.

HÆMORRHAGIARUM CURATIO.

Quod super hoc argumento attentionem omnium medicorum primum meretur; hoc est, utrum hæmorrhagiæ necne naturæ ex toto concedi, an arte sanari, debeant. In sententiam priorem concesserunt Stahlius celebris, omnesque, quorum numerosa fuit cohors, qui illum ducem secuti sunt. Hi sequentibus inducti, omnes hæmorrhagias, utcumque copiosæ sint, nisi tales sint, quales mortem aegrotanti subitanæ intentent, neglectui habendas esse putarunt.

runt. Quod corpus humanum ad plenitudinem, et igitur ad multos morbos, quibus natura, haemorrhagiam excitando, occurrere conatur, admodum esse proclive; hanc idcirco aequilibrio systematis justo ejusque valetudini commodae saepe necessariam esse; itaque, omnibus in exemplis, si supra comprehensum excipias, promoveri, et nonnunquam arte ipsa excitari, debere; et denique, animum rationalem progressui ejus constanter invigilare, qui ne aliquod incommodum, nedum exitium, inde oriatur, in morem tutelae propitiae, nunquam non benignus cavebit, sibi ex toto persuasum habebant. Pars hujusce theoriae, quae, in summa, oblectationi animi juvenilis inexperti, nondumque usu practico satis imbuti, magis, quam salutis generis humani, consulere videtur, aliqua quidem a medico prudentissimo recipi potest. Quis enim unquam in animum sibi induxit negare, corpus plenitudini aliquando perquam esse opportunum, et profusionem sanguinis activam et spontaneam,

spontaneam, si plenitudini aliter non potuit occurri, quod quidem fere semper fieri potest, nonnunquam proficisse? Ubinam vero medicus cautus reperiendus est, qui reliquas ejus partes recipiendas putabit, quive suae salutis aegrotantiumve, quos periculo subducere velit, in isto animo rationali, qui praesidium corporis sibi commissum toties neglectui habuit, et tot mortalium, omni haemorrhagiae genere laborantium, millia rapi permisit, fiduciam collocabit? Haec autem et similia in causa sunt, cur plerique medicorum hodiernorum, opinione praxique Stahlianis ex toto derelictis, omnes haemorrhagias, si menstrua sola excipias, sanari; reditui earundem omni, quae potest adhiberi, ratione occurri; et naturae, quae credulos toties, modum in miserandum, decepit, non amplius credi debere opinentur. Nec, sine ratione gravissima, in hanc sententiam iverunt. Exempla etenim numerosa et quotidiana attentionem medicorum, etiam levissimam, fugere nequeunt;

nequeunt; ubi menorrhagia, naturae viribus medicatricibus concredita vel neglecta, multis morbis periculosis fundamenta nimis certa jecit, vel aegrotas infelices saepe, spatio temporis brevissimo, extinxit; ubi haemorrhoids inveterascens tumores circa anum, nulla arte superandos, et fistulas, quae summo periculo nunquam vacant, progeneravit, vel ad annum aetatis sexagesimum quintum, aut circiter, manens, subitoque cessans, in apoplexiam sanguineam funestam brevi desiit; ubi haemoptysis, alioquin forsitan innocua, progredi permessa, in pulmonibus tubercula movit, quae postea, ad suppurationem perducta, phthisi pulmonali finita fuerunt; ubi epistaxis etiam, unde minus periculi, quam ab aliis, plerumque timendum, quaeque in capitis plenitudine, venosa senum potissimum, qui in apoplexiam sanguineam protinus incidere periclitantur, aliquando plurimum prodest, neglectui habita, summam et periculosissimam ea laborantibus debilitatem intulit. Haemorrhagiae denique

denique eam plenitudinem, cui occurrere videntur, raro diminuunt, sed, contra, plerumque adaugent.

Cum res autem ita sese habeant, proximum est, ut, qualis curatio haemorrhagiis conveniat, attente, sed quam brevissime tamen, quoniam hanc dissertationem in longitudinem nimiam jam produximus, consideremus.

Duo vero consilia praecipua haemorrhagiis medendi esse videntur.

I. Ne fluxus sanguinis, dum pergit, immodicus evadat ;

II. Ne redeat, cavere.

Prius ex toto, saltem quantum fieri potest, explebis, si impetum sanguinis in corpore universo, potissimum vero in ea parte unde sanguis prorumpit, imminues ; et vasa relaxata vel rupta constringes :

Illud praestant sequentia :

a. *Regimen antiphlogisticum*, sub quo continentur, cibus et potio quam minime stimulantia,

tia, frigus modicum, corporis animique quies, positura corporis idonea, laxantia leniora.

Quantum cibum spectat animalis, qui, ob naturam magis alkalescentem et acrem, corpori stimulo potentiori est, quam vegetabilis, ex toto defugiendus est, et hic in locum illius constanter substituendus. Quinetiam generum hujus delectus habendus. Farinacea reliquis omnibus anteponenda, quoniam concoctu facilia sunt, et corpus, quod jam nimis irritabile est, minus, quam olera et radices, stimulare valent. Quo minus liberaliter ea etiam sumentur, eo magis efficaciter diathesi phlogisticae, et progressui et quantitati haemorrhagiae, occurretur. Quantum ad potiones stimulantem et valentiores attinet, iis aegrotus constanter cauteque abstinere. Cane pejus et angue aderit et vitarit, liquores, omnigenas aromaticas, spirituosos, fermentatos, qui vasis sanguiferis stimulo acerrimo sunt, et actionem eorum plurimum intendunt.

Cum

Cum calor, praeterquam quod humores aliqua ex parte rarefacit, et hoc modo nonnihil nocet, omnium stimulorum, qui in corpus humanum agere consueverunt, longe potentissimus fit, contra gradum ejus nimium omni cura diligentiaque pugnandum est. Ne vis ejus unquam, ultra gradum thermometri Fahrenheiteani sexagesimum secundum intendatur; alioquin haemorrhagia laboranti inimicissima esse reperietur: Insuper, omnis caloris in superficie corporis accumulatio magnopere cavenda est; quoniam potestas ejus generatrix, intra corpus, multo major est, quam quae valetudini commoda convenit. Igitur leviter tegatur lectus. Stragula lineae, non laneae, sint; quoniam illa multo facilius, quam haec, calorem ad aëra externum transmitti et dissipari patiuntur. Quantum aëris frigidi ad corpus aegrotantis adspirare permittendum est, dictu quidem difficile; sed temperies cubiculi, in quo decumbitur, haud dubie non paulo frigidior esse debet, quam cum

aeger valetudine commoda fruitur, quo effectibus caloris nociuis quam efficacissime occurratur.

Quoniam compertum habetur, motum corporis quemlibet reditum sanguinis venosi cor versus accelerare, quod ei stimulo potenti non esse non potest, et pro certo actionem totius systematis sanguiferi magnopere adaugebit, ut corpus haemorrhagia laborantis in statu requietis absolutissimae habeatur omnino opus est. Loquela etiam abstineat aegrotus, quae respirationem, et igitur transitum sanguinis per cor et pulmones, accelerabit. Tranquillitati animi non cura minore prospiciatur, et omnia, quae affectus animi violentiores concitare possunt, caute diligenterque vitentur.

Hae regulae vero minime perpetuae sunt. Namque equitatio, nonnullis in exemplis, ut Cullenus illustrissimus, in praelectionibus suis, memoriae prodere consuevit, haemoptyses; et navigatio, ut e scriptis Doctoris Gilchristii Dumfrisiensis

ffisiensis discere licet, in plurimis multum professe reperta est.

Quinetiam ad posituram corporis idoneam animum attendamus oportet. Ægrotus ita collocetur, ut cursui sanguinis, per gravitatem suam, ad partem laborantem quam maxime obsistatur: Si epistaxis subsit, positura erecta; si menorrhagia et haemorrhoids, horizontalis, plurimum juvabit.

Denique, quo nihil amplius super regimine antiphlogistico addamus, alvus laxantibus lenioribus, ut manna, tamarindis, salibus mediis, sulphure, oleo ricini, similibusque, perpetuo soluta teneatur, quo omnis irritatio a faecibus induratis, in colo rectoque retentis, oriunda vitetur, quae, nonnullis in casibus, et menorrhagam et haemorrhoidem, jam illatas, non tantum adauxit, sed etiam excitavit. Namque morbus uterque, stercore expulso, non raro cessavit.

b. *Sanguinis detractio.* Quam efficax haec sit contra diathesin phlogisticam, et igitur actionem

nem

nem systematis sanguiferi adauctam, neminem, primis medicinae elementis imbutum, potest latere. Sano vasorum nimio, ut supra comprehendimus, et irritationi eorundem morbidae inimicissima est; et, hanc ob causam, ad haemorrhagias, quae semper ab iis plenitudini adjunctis magnopere pendent, sistendas, in primis accommodatur. Praeterea, si in loco a sede haemorrhagiae distante instituat, impetum humorum eo avertit, et ita sanguinis profusionem diminuit. In haemorrhagia spontanea, sanguis e vasis parvulis effluit, et saepe lente profunditur, adeo ut nimia sanguinis jactura prius fiat, quam ulli effectus salutarens sensibus percipiendi, in impetum humorum adauctum edi, aut haemorrhagia sisti possit. Igitur plerumque conveniet profusionem sanguinis spontaneam, potissimum si primam in vicem accessit, et metus est, ne recidiva fiat, et consuetudo reditus stabiliatur, sive ulla irritatione constante, ut tussi in haemoptysi, stipatur, quae fluxum
immodicum

immodicum movere periclitatur, non sibi
 relinquere, sed finem ejus, cum primum fieri
 potest, per evacuationem ab arte petitam facere.
 Hanc enim, pro lubitu, quod in illa fieri ne-
 quit, regere et moderari possumus, et ea mo-
 mento, diathesi phlogistica et actione vasorum
 adaucta satis diminutis vel sublatis, desistere.
 Ad plures sanguinis detractiones, quam unam,
 quibusdam in exemplis, antequam motus syste-
 matis sanguiferi abnormes compesci, et haemor-
 rhagia sisti possunt, decurrere est necessarium.
 Hoc vero, uti debet, penes judicium medici
 esto.

c. *Sedantia.* Horum praecipua sunt refrige-
 rantia stricte dicta, aqua frigida, opium.

Quantum ad refrigerantia spectat, sub quibus
 comprehenduntur acida et sales medii, vim se-
 dantem haud dubie possident, quae, ut ad illam
 systematis sanguiferi actionem adauctam, quae
 in haemorrhagiis activis nunquam non domina-
 tur, et ortum illis saepissime praebet, compes-
 cendam

cendam et moderandam, in primis accommodantur, plane facit. Quanquam experientia inveterata ea viribus hoc genus praedita esse demonstravit; opis tamen non nostrae est modum, quo agant, clare dilucideque exponere. Insuper, alvum modice solutam tenent, quod, ut supra ostendimus, in haemorrhagiis non parum utile esse reperitur. Quinetiam impetum ad superficiem humorum faciunt, quod, partes internas mole eorum nimia levando, haemorrhagiis omnigenis potenter occurrit.

Quae acida in usu maxime communi sunt, ea sunt vitriolicum et vegetabile. Hoc illi in haemorrhagiis anteponendum est, quod copia multo majore sumi potest, et effectus suos in systema universum refrigerantes et sedantes facilius expeditiusque diffundit.

Sal medium, ad quod in profusionibus sanguinis activis saepissime confugitur, est nitrum. Multis stomachis pessime sedet, quacunque forma adhibeatur, et, uti Cullenus posteris tradit,

ne quidem in anum multorum, quin fummanque pulmonibus irritationem inferat, potest immitti.

Omnia haemoptyses signa, ut medici non pauci fuerunt confessi, potissimum tussim, exasperat. Igitur eo, haemorrhagia pulmonum subsistente, caute uti, eodemve ex toto abstinere conveniet.

Quod ad aquam frigidam attinet, ea rite adhibita, in haemorrhagias multum potest. Potestates duas, sedantem et tonicam, plane habet. In haemorrhagiis haec nocet, illa prodest. Igitur adeo adhiberi debet, ut tonica ex toto vitetur, et sedans liberrime exerceatur. Hoc fiet, si in ventriculum tantis quantitatibus ingeretur, quanta omni systematis renisum subsequi prohibebunt, qui, actionem systematis sanguiferi intendendo, haemorrhagiam multo copiosiore et periculosiore efficeret. Non tantum in ventriculum, sub forma potionis, ingeri debet, sed etiam, in exemplis menorrhagiae gravioribus, in anum utrumve ipsum, in modum enema-

tum, immitti. Si in renum, intestinorum, vesi-
 cae, uterique inflammationibus, aqua tepida, in
 anum immissa, prodest, quid obstat, quo minus
 aqua frigida, eodem modo adhibita, in menorrh-
 gia potissimum, et in aliis inflammationibus quo-
 que, namque suos effectus in systema universum
 brevi diffundit, optimos effectus edat, ubi vires ejus
 sedantes tantopere requiruntur? Hae, per consen-
 sum, a partibus corporis remotissimis ad partem
 laborantem, spatio temporis perquam exiguo,
 propagari videntur; uti in exemplis videre est,
 ubi manus pedesve in frigidam immerfi epistax-
 in, quasi momento, tollunt. Quanquam pleri-
 que nostratum, ne usus frigidae hujuscemodi
 inflammationem moveat, non parum metuere
 solent; medici tamen Hispani Italicique eum
 minime reformidant, et terrores, quibus Bri-
 tanni indulgent, ex toto ridiculos esse conten-
 dunt. Nosmet ipsi quaedam exempla vidimus,
 ubi, frigida hoc modo adhibita, votis medicorum
 ex toto respondit.

Quidam

Quidam opium in haemorrhagias activas multum posse contendunt. In his autem sunt Trallius et Whyttius celeberrimus. Quodcumque vero fructus ex eo percipitur, id a potestate ejus sedante clare evidenterque proficiscitur, quae brevi in systema universum diffunditur, et actionem vasis sanguiferis, quotquot sunt, potenter imminuit. Alii affirmare non dubitant, opium, effectibus ejus sedantibus agere cessantibus, corpus magis irritabile constanter dimittere, et diathesin phlogisticam augere, et igitur nunquam in usum, nisi hac magna ex parte domita et sublata, revocari debere. Quod ad nosmetipsos attinet, nulla ejus pericula fecimus, et paucissima tantum ab aliis fieri vidimus; igitur nihil omnino super hac re pro certo in medium proferre audemus. Si vero, in haemorrhagia, ad ulum ejus nunquam decurritur, nisi diathesi phlogistica sublata, ad eum nunquam decurri debet; namque, hac debellata, omnes activae haemorrhagiae evanescent. Igitur,

tur, morbo depulso, medicamentis non opus est.

d. *Epispastica.* Haec triplicem potestatem, stimulantem, evacuantem, et antispasmodicam habent. Si stimulans sola illis inesset, in haemorrhagiis ex toto aliena forent. Haec vero fugax est, et praesidium haud dubie promittunt evacuans et antispasmodica. Quam proxime partem laborantem admota plurimum juvant. Molem humorum in parte laborante per evacuationem, quam faciunt, evidenter imminuunt, et vi antispasmodica, qua spasmus superficiei corporeae in omnibus, uti videtur, haemorrhagiis illatum, solvunt, ut sanguis exteriora corporis versus liberius feratur, aperte faciunt. Igitur ad ea, in omni haemorrhagiae exemplo, confugi debet. E memoria hoc nunquam excidat, liquores diluentes, ne stranguria oriatur, liberaliter esse adhibendos.

e. *Emetica.* Quanquam haec summam systemati agitationem evidenter inferunt, et haemorrhagiis

morrhagiis ex toto inimica esse videntur; non
 parum auxilii tamen inde sperandum. Nam-
 que vir clarus Robinson*, qui medicinam
 Dublinii fecit, posteris tradit, se ad ea, in casi-
 bus etiam haemoptyseos, summo cum fructu de-
 cucurrisse. Sibi persuasum habebat, effectus
 eorum bonas a constrictione, quam vasis, dum
 nausea et aegritudo vomitionem antecedentes
 aegrotum infestant, et actio cordis non parum
 debilitatur, extremis inferunt, ex toto pendere.
 Cur vero non reminiscebatur, hoc commodum,
 si tale sit, actione cordis arteriarumque adau-
 cta, quae paucis minutis subsequitur, omnino tolli
 et deleri? In summa, quandocumque profunt,
 effectum salutarem non alia ratione, quam im-
 petum humorum copiosum superficiem versus
 faciendo, edunt. Si qui vero, quibus dubieta-
 tem et timorem haec experimenta non exeme-
 rint, ad ea nondum decurrere audeant, et ad-
 huc pro remedio ancipite habeant, ii ea satis
tuta

* On the Virtues and Operations of Medicines.

tuta et efficaciora etiam reddere possunt, si opium iis adjungent. Ipecacuanha et opium, sub forma pulveris Doveriani, vel vinum emeticum et liquidum laudanum conjuncta, summo cum commodo, dari possunt, utpote quae vim diaphoreticam potentissimam habeant, quae, in haemorrhagiis omnigenis, humores ad superficiem evocando, summi momenti non esse non potest. Immo vicem regionis calidioris quodammodo praestat. Eodem consilio vestimenta lanea, non lineae, proxime cutem gerantur.

f. *Ligaturae artubus injectae*

Quantum has spectat, parum proficere posse videntur. Primum admodum difficile est venas ita comprimere, adeo ut arterias, eodem tempore, non plus minusve quoque constringas. Secundo, si sanguinem in his ullo modo retardabis, multo plus nocebis, quam venas constringendo, reditumque sanguinis venosi ad cor impediendo, prodesse valebis. Qui ad eas primum confugerunt, ii leges circuitus sanguinei

non rite novisse videntur. Iis, utpote quae remedium perquam anceps sint, tutius, iudicio nostro, abstinetur.

Hoc praestant sequentia.

a. *Astringentia.* Alia horum usui interno, alia externo, accommodantur. Quae interne adhibentur, ea sunt vegetabilia, aut fossilia. Illorum actio tam tarda, et plerumque debilis est, ut ad ea in haemorrhagiis multum periculi habentibus raro decurratur. Ex his, chalybs, plumbum, alumen in usu fuerunt. Chalybeata parum potestatis adstringentis habent, et vi tonica, qua praedita sunt, diathesin phlogisticam augere periclitantur, et igitur nihil auxilii in haemorrhagiis activis promittunt. Quod ad plumbum attinet, id vel ex eo praeparata, cum parvulis etiam quantitibus data, venenum efficacissimum sint, vix unquam interne adhibentur, saltem ea quantitate, ut vires suas sedantes et adstringentes utiliter exercere possint. Sub forma solutionis sacchari saturni partibus exter-

nis

nis tutius applicari potest plumbum; sed parum in haemorrhagiis gravioribus valet, et aliquid ab absorptione ejus timendum. Alumine potissimum confidunt medici, quod actionem suam in systema celerius, quam vegetabilia adstringentia, diffundit, et viribus suis sedantibus et adstringentibus impetum humorum plane compescit.

Ex adstringentibus externis praecipuum et potentissimum est frigus, de quo formaque ejus singulari, aqua nempe frigida, satis supra diximus. Qui multum fiduciae in potestate ejus adstringente collocant, ii tonicam non multum reformident, quae multo plus terroris, quam debet, medicis meticulosis incussit.

S E C T I O II.

P R O P H Y L A X I S.

Haec autem in cavendo, *ne fluxus redeat*, ex toto consistit.

Hoc efficacissime vitabimus, si plenitudinem universam, locove propriam, quantum fieri potuerit, praeveniemus vel removebimus.

Quod vero in votis est, id optime praestabunt diaeta parciór minusque nutriens, exercitatio, sanguinis detractio.

Quantum diaetam spectat, ea, si plenitudini morbidae occurrere velimus, haud dubie solita parciór esse debet. Aliquid usitatae pro certo detrahendum. Namque plenissima, nisi secretiones et excretiones exercitatione aliterve aper-
tissimae perpetuo conserventur, redundantiam sanguinis constanter fere progignit. Non tan-

tum

tum opus est, ut alimenta minore quantitate fumantur, sed etiam minus nutrimenti praebent. Igitur cibus animalis, utpote qui ad globulos sanguinis rubros abundantius prognerandos evidentissime conferat, minus perspirabilis fit, difficilius per excernentia propemodum universa transeat; et, has ob causas, plenitudini morbidae, ante omnia alia, amicus fit, ex toto repudiandus. In locum ejus sufficiatur vegetabilis, qui dotes huius modo comprehensis ex toto contrarias habet. Si haemorrhagia nihilominus accessura esse videatur, quod huius sumi consuevit, id quoque diminuatur. Quaedam exempla novimus, ubi abstinentia constans et summa morbum in longam diem distulit, et, ad extremum, ex toto superavit.

Quod ad exercitationem attinet, ea, cum plenitudini occurrere necesse est, omnino necessaria est; quod omnes secretiones et excretiones promovet et conservat, et ita plenitudini efficaciter adversatur. Ea viribus corporis ex toto accommodanda

modanda est. Valentiores plus ejus adhibere, et in ea diutius, in unamquamque vicem, perstare valent. Quo acrior est, eo potentius cursum humorum ad corporis extrema facit, et perspirationem uberiores movet. In iis, qui infirmiores sunt, remissior fit. In omnibus, pro viribus, modica, et semper citra defatigationem. Ea nunquam subito desistatur; sed lenior et lenior gradatim evadat, donec tandem ad finem perducatur, aegrotó domum redeunte, sudoris omnino experte. Alioquin perspiratio repente supprimitur periclitatur, quod plus nocebit, quam exercitatio proderit: Ne in unum quidem diem neglectus habeatur. Namque a constantia ejus sola bonum sperandum.

Ultimum praesidium adversus plenitudinem, in sanguinis detractioe quaerendum. Ad hanc vero nunquam confugiatur, nisi necessitate summa urgente; quoniam frequenter adhibita plenitudini non tantum obsistit, quantum favet. Si vero congestio sanguinis

jam facta esse videatur, et metus est ne sanguis sponte erumpat, fatius est ad evacuationem ab arte petitam decurrere, quam, ut natura suo modo discutiat, permittere. Ad prima uniuscujusque accumulationis futurae signa diligentissime attendatur, et sanguis iterum iterumque, sed singulis temporibus parcius parciusque, emitatur. Ita proclivitati ad plenitudinem efficacissime occurretur, quantum saltem a sanguinis detractio pendet. Hoc vero e memoria nemini unquam excidat, haemorrhagias multo tutius certiusque diaeta et exercitatione idoneis, quam ulla sanguinis extractione, depelli.

Hanc dissertationem ad finem prius perducere nequeo, quam gratias amabili doctoque juveni Doctori Joanni Clendining reddidi, ob amicitiam et favorem, quibus me constanter profecutus est, et fructum multiplicem, quem

e sermonibus numerosis, quos cum illo de rebus medicis conferui, percepi; vale igitur, care amice, et omnia tibi fausta eveniant.

F I N I S.

